

Neque vero pyrita me ita occoecatam sibi imagine-
tur quispiam, ut in ejus infallibilitatem, sicuti Medicus
ille in suas pilulas, jurem. Mea nihil refert. Zelus in-
super, quem quidam dubitatione sua, quod, uti alias
scripsi, Succinum in spiritu vini totum solvi possit, in me
accendit, me hic pro illustranda Succini cum acido Vi-
trioli confanguinitate, eo adigit, ut manifestem, illud
ipsum acidum esse, quod solutionem dictam adjuvare
debet. Cetera encheiresis habet.

De reliquo omnium minime mirum sit, quod fodiat-
tur, quia verum minerale est, & plurimis in locis terræ
continentis jam effossum esse, inter omnes constat. Po-
tius quæstione dignum illud est, unde ad Prussiæ ora per
mare veniat & adpellatur, maxime, qui fiat, quod
effluat, & quo medio fluidum redditum sit, cum flui-
dum nullibi reperiat, & tamen fluidum fuisse illud
Prussicum, insecta & alia peregrina inclusa satis evincant.

OBSERVATIO LXXXII.

DN. D. JOH. FRIDERICI HENKELII.

De

Topasio verâ Saxonum, orientali non
inferiore.

Montem Variscorum, *Schenckenberg* vocatum prope
vallem *Tannebergæ*, duo milliaria ab *Auerbaco*,
oppido, situm, gemma hæc certo incomparabi-
lis nobilitat. In ejus summitate pedetentim assurgente
eminet rupes, turris instar à tellure, quæ abruptis frag-
mentis

De Topasio verâ Saxonum, orientâli non inferiore. 317

mentis valde exaggerata est, altitudinis forte 80. pedum, latitudinis inferioris triplo majoris, naturæ plane peculiaris, nec filiceæ, nec fabulosæ, neque margodes nec ardesialis, seu scissilis, multo minus ejusmodi mixtionis filiceo-micosæ, qualis saxum nostrum communiter est, sed planè diversæ, cujusmodi nullibi vidi, grani omnium longe durioris, inprimis valde asperi.

Saxum hoc innumeris parvis cavernulis notatum est, ad instar casei vermibus exesi, quæ chrystallulis veris gemmatæ, sæpius inter se, sæpius juxta se Topasios, easque pariter in cavitate continent; itaque superius liberæ, inferius Saxo adfixas, non erectas, sicuti chrystalluli, sed jam plane, jam oblique jacentes; ceterum terra aliqua marga subtilissima, ochrei coloris, interdum pallidioris, ad basin circumdatas, nonnunquam penitus circumvolutas exhibent.

Nunquam circum circa liberæ & ab omni latere complanatas, sicuti de lapillis Jovis & Pyrita novimus, sed ab ima parte diffractas semper offendi. Quare falsum est, istas nucleorum instar in cortice contineri, saltim à fractione vehementi & concussoria facile eradicabiles & dilabentes, quoniam radices non adeo, ac crystalli, altas, sed superficiales agunt, atque structura constant facile dissiliente, nempe lamellosa. Hinc inferius plerumque turbidæ; in summitate pellucidæ aut pellucidiores sunt, sicuti etiam in crystallis id deprehendimus.

Structura gaudent bracteata, neque vero ita molli & friabili, quod de fluoribus sic dictis amethystinis, hyacinthinis, saphirinis, smaragdinis, verbo seleniticis cognitum habemus, sed profectio maxime compacta & ita stricta, ut ad naturam gemmarum primi ordinis, quales

Adamas & Sapphirus sunt, proximè accedant; unde est, quod etiam fulgurent. Topasius spuria verò, Bohemica dicta, quæ non nisi chrystallus nigro tenuiter colorata est, in venis metallicis, imprimis stanneis obvia, porro chrystallus montana ipsa, amethystus nostras, vitream tantummodo & glaciale pelluciditatem præ se ferunt, quarum totum verò est continuum, fluidum quasi congelatum, ex lamellis minime consignatum, seu plurimis tenuissimis corpusculis sibi superimpositis constans, quod cum duritie debita requiritur, si refractionis lucis atque hinc proficiscens fulguratio desideratur.

Figura earum prismatica apparet, laterum quatuor inæqualium, angulorum obtusorum, nunquam plus quam unius acuti; in summitate plana, ibique angulis etiam obtusis, sed inæqualiter talibus, sicuti adamantes ad fulgurandum, secari solent. In quo sicuti & quoad lamellas & situm obliquum, imò planum, vidi Smaragdum orientalem ipsis plane similem.

Proinde sæpe longiores, præcipue minutiores & non raro duplo tales, quam latæ, nonnullæ tamen, minimum ab uno latere latiores, quam longi, imò abhinc quandoque ita breves, ut summitas ibi saxum fere contingat.

Colore flaviusculæ, communiter pallidi vini instar, nunquam tamen plane albæ. Flava rarior & omnium optime fulgurans, quæ merito Chrysolithus audiret magis, quam illa moderna Chrysolithus, nihil minus quam aureo, sed flavo-viridiusculo corruscans

Brevi: Est gemma non patriæ solum, sed & multorum regnorum sine pari, qualem nec vidi, nec aliis descriptam

De Topasio verâ Saxonum, orientali non inferiore. 319

scriptam legi. Exteri melius norunt istam, quam nostri. Tanquam orientalis venditur & nostris.

De origine quædam meditatus notandum est: 1) Topasium nostram cum natura saxi, cui inhæret, convenire, minimum multo propinquiorem, quam Chrysellum adjacentem habere cognationem; quia Saxum istud gemmæ secundæ poliendæve optime inservit, sicut adamas adamanti. 2) Chrysellum montanam comitem plane eundem, ac lapidem siliceum diaphanum, in sua natura esse, adeoque à Topasio valde discrepare, id quod ignis, quo hic difficillime vitrescibilis, quin ad calcem magis tendens est, confirmat.

Quæ in schediasmate de lapidum origine edisserui, adhuc immutata repeto: Nimirum eo modo, quo salia ex liquore in corpora mathematica coeunt, imo salia differentia juxta se in diversas formas successive abeunt, gemmam hanc oriri valde probabile est; germinativum sibi concipere ortum omnium difficillimum est. Ex eodem agro propullulant quidem diversæ arbores sed unum semen ex se gigni non patitur diversos fructus. Saxum hoc ager unius indolis est; Topasius vero & chrysellus montana toto coelo inter se differunt. Taceo dubia, quæ in lapidum genesi non nisi Coralliis marinis, & cuidam Osteocollæ germinationem adjudicant.

Terra marga ambiens & nonnunquam incumbens utrum tincturam Topasio conciliaverit, antea determinare non teneor, quam solutas videbo quæstiones, utrum illa tempore prior Topasio fuerit, vel an cum hac simul existere cœperit, an denique Topasio jam constitutâ, in cavernulas influendo, supervenerit? Tertium omnium minime mihi arridet, quoniam chrysellus adja-
centes

centes nullum inde nactæ colorem sunt, quo minimum externe omnino contaminari debuissent. Alterum speciem aliquam præ se fert cum ista subtilissimas ejus fissuras intraverit, id quod non adeo obscure significat, jam tum, ubi gemma tenera fuit, terram præsto fuisse. Cui ratione primi affirmativam amplecti animus foret, illi incumberet certe operosa probatio, neque, etsi daretur, sufficeret consequentiæ inferendæ. Plura enim, quod jam dixi, juxta se posita non semper aliquam inter se causalitatem, sed causam communem sæpe, aut utrinque aliam agnoscunt.

(*Freyberga Altorsium missæ*
d. 22. Mart. 1735.

OBSERVATIO LXXXIII.

DN. L. JOH. SAMUELIS CARL.

De

Mensium & hæmorrhoidum fluxu simultaneouso quidem & tamen salutari.

Matrona generosa, circiter 40. annorum, temperamenti sanguineo-cholericæ, habitus mediocris, & constitutionis sensibilibioris, faciei floridæ, in diætâ lauta constituta, inque sterilitate vitam degens, mensium fluxu largo & simul hæmorrhoidibus fluentibus subjecta est, statis & certis lunæ quadrantibus. Plura ejusmodi exempla vid. apud FERNELIUM *caus.* 39. SOLENANDRUM *sect.* 4. *cons.* 20. DOLÆUM in *Encyclop. Med. Lib. III. cap.* 10. HOLLERIUM *Lib. I. de morb. internis*